

220  
N.º 6.





B V L L A

CANONIZATIONIS

SANCTI FRANCISCI

XAVERII,



CVM LICENTIA

Madridi, apud Franciscum de Ocampo,  
Anno M.DC.XXXV.

~~15~~

2:30

ALLIVE

CHITRANIKOZA

1911

2  
VRBANVS

EPISCOPVS SERVVS

seruorum Dei, ad perpetuam  
rei memoriam.

**R**ationi congruit, & conuenit æquitati, vt ea, quæ de Romani Pontificis prouidentia processerunt, licet eius superueniente obitu literæ Apostolicæ desuper confectæ non fuerint, suum debitum consequantur effectû: Dudum siquidem fel: re: Gregorius Papa XV. prædecessor noster piè præmeditans, quòd vnigenitus, & coæternus æterni Patris Filius, cum de regalibus Sedibus in hunc mundum, vt salutem humani generis operaretur, descendisset, semen bonum verbi sui in agro Orbis terrarum seminauerat, vt omnium cœlestium virtutum, & ad extremum æternæ vitæ fructû credentibus germinaret, quodq; cum proditiuæ huius segetis incremento pretiosissimum sanguinem suum, ignominiam Crucis voluntariè subiens, effudisset: ac perfectò demum opere, ad quod missus fuerat, super omnibus cœlorum sublimitatibus ad dexteram Patris in seculum æternitate confessus ascendisset, plurimos seruos, & amicos suos in terris reliquerat, qui laboribus, vigilijs, atq; ad ipsius exemplum proprii sanguinis effusione, diuinâ hanc excolentes semetem, messem quàm vberimâ in horreû eius congregarent. eiusque fines eo vique dilatarent, donec iuxta promissionem Patris omnes gentes, & termini terræ, darentur ei in hæreditatem, & possessionem. Et quamvis verbum eius semper à generatione in generatione prosperatû esset,

esset. At tamen, quando ab aeternis temporibus prædestina-  
tum beneplaciti eius tempus aduenerat, vt abundare face-  
ret, quasi imbrem inundantem misericordiam suam magnâ  
super vniuersum semen filiorum Adam, gloriamq; Crucis  
sue vsq; ad vltimum terræ, & in mari longè propagaret, ve-  
rè admirabilis facta erat potentia ipsius, cum reuelatis in-  
cognitis antea tribubus, & linguis, ac populis, & nationibus  
messam magnam atq; vberem aperuerat, atq; in ea opera-  
rios multiplicauerat, tantaq; fructuâ abundantia labore  
eorum compleuerat; vt ipsis annunciantibus Euangeliæ  
prædicationis sonus, vsq; ad extremos Orbis terrarum fi-  
nes penetrasset, & à solis ortu vsq; ad occasum, ab Aquilone  
& mari, magnam nomen Domini Dei nostri, in vniuersis  
gentibus redditum esset.

Inter cæteros verò, quos ad perficiendum voluntatis suæ  
Sacramentum in tantarum gentium vocatione Dominus  
præordinauerat, egregius Seruus eius FRANCISCVS  
XAVERIVS NOVVS INDIARVM APOSTOLVS  
gloria sanctitatis, & meritorum splendore præcipuè emi-  
cuerat, qui cum à iuuentute sua perfectè coram Deo ambu-  
lasset; spretilque ac conculcatis diuitijs ac sæculi dignita-  
tibus, ac semetipso iuxta Verbum Domini abnegato, animi  
suam pro nomine Domini nostri Iesu Christi tradidisset, di-  
gnus inuentus erat, qui à Spiritu Sancto in tam insigne opus  
assumeretur, ac tanquam aliorum Dux diuina providentia  
constitutus, apostolicis charismatibus affluenter decorare-  
tur, etiam ob signa Apostolatus, quæ in eo in omni patientia  
in signis, & prodigijs, ac virtutibus, manifesta facta erant, no-  
uarum gentium Apostolus vnanimi totius Christiani Orbis  
consensu meruerat appellari: ac propterea decebat, vt tan-  
tum Dei famulum, qui pro gloria eius, & animarum D. N.  
I. I. Christi sanguine redemptarum salute innumeros ma-  
xi nosque labores, atque grummas perpeffus erat, in genti-  
bus terra, mariq; subiecerat pericula; quæ Deus adeo magni-  
ficauit;

ficauerat, ut nomen eius honorabile esset apud omnes gentes, idem Gregorius prædecessor pro suo pastoralii munere vetè Sanctum, & electum Dei, in militanti Ecclesia declararet eiusque virtutes, tanquam eximias, & præcellentes, vniuersis Christi fidelibus imitandas proponeret, ut populus Christianus actiones suas ad honorem Dei (ipsius exemplo) diligens, eum apud Deum, & Dominum Iesum Christum in eius necessitatibus habere mereretur intercessorem.

Atque ut omnes Christi fideles promptius ad laudandum Deum omnipotentem, secundum multitudinem magnitudinis eius, excitarentur, deuotionisque ardor erga tantum Dei famulum augeretur, dum eius in terris cælestem, & laudabiliter actam vitam Orbi terrarum explicaret, & patreficeret in primis, & ante omnia præmitteret. Quod natus erat insignis hic Dei seruus Nauaræ in oppido Auerio Pampilonen diocesis maternæ ditionis loco, nobilibus, ac pijs progenitoribus: qui cum ipsum ab infantia timere Deum, ac ab omni peccato abstinere edocuisent, vbi ætas demum adoleuerat, Lutetiam Parisiorum, studiorum gratia eundem miserant. Quibus cum a facriter operam daret, post hæud multum temporis de eo domum euocando pater cogitare coeperat, quod cum tunc in humanis ætus Maria Magdalena eius soror, quæ Monasterium monialium oppidi nuncupat Gandiæ Ordinis Sanctæ Claræ discalceatarum nuncupatarum Valentini diocesis, non sine ingenti sanctitatis fama tunc regebat, præsensisset, fratris vocat. Onem diuinitus edocta, per literas cum patre vehementius egerat, ut Francisci studia omni ope etiam cum rei domesticæ detrimento foueret: eum enim incognitarum gentium Apostolum Diuina prouidentia præordinatum esse prævidebat.

Cumq; Lutetiæ comoraretur, in familiaritate Sæcti Ignatii insinuat, ac postmodum in Socium ipsius, qui id ardentibus precibus a Deo ad ingente Ecclesiæ utilitate persequendam po-

stulauerat, paderipens, soloque Duice Ingressus erat arctam  
viam, quæ ad vitam ducebat. Ut enim spiritus viuificaretur,  
carnem suam ad antiquorum sanctorum Patrum exemplum  
seuerissimè mortificauerat. Interdicto enim sibi non solum  
carnis, & vini, sed panis etiam triticeï vsu, vilibus tantum-  
modo, ac insulsis cibis, ijsq; quam parcissimè vsus erat. Quin  
etiam frequenter integro biduo, v; iduoq; ab omni cibo pro-  
fus abstinerat. Aliquando vero omnes maioris hebdoma-  
dæ dies, vsq; ad Sabbatum Paschatis ieiunus transegerat,  
somoque breuissimo viresficere consueuerat, humi, vel  
lectulo vilissimis fragulis contacto iacens. Corpus suum  
ferreis flagellis adeo diuerberabat, vt sepe copiosus san-  
guis efflueret. Aliquando autem funiculis arctissimè con-  
strictis lacertis, & coxendicibus iter aggressus erat. Cum-  
que plures dies in eo cruciatu perseverassèt, vincula adeo  
corpori eius infixæ erant, vt præ doloris magnitudine visibus  
delitutus in via concideret, ac nisi præcipuo Dei beneficio,  
absque vlla humana ope disrupta fuissent; de eius vita omni-  
no desperatum fuisset. Quam præclarè vero in eius animo  
reliquæ Christianæ virtutes effulssent, quam potenter seu-  
ro fidei protectus omnia nequissimi ignea tela extinxisset,  
& quam firmiter in Deo sperasset: & Sacramentorum fre-  
quentia, quibus non solum semetipsum, sed & alios etiam  
lumina cum deuotione, ac indefessa assiduitate pascebat. &  
Verbi Dei assidua prædicatio, qua tam ingentem Orbis ter-  
rarum partem illuminauerat, insigniter attestabantur. Sed  
inter ceteras eius virtutes, quasi sidus matutinum præcipuè  
resplendens erat charitas, quæ in omnibus quidem eius actio-  
nibus, præsertim tamen, cum ægrotis inferuaret, manifesta-  
batur: eo etenim dilectionis ardore erga inopes infirmos,  
qui in domibus hospitalibus morabantur, se gerebat, vt ra-  
to ab eis discaerret, tantaquæ sensuum mortificatione quæ-  
tuntis sordidissima ministeria peragebat, vt aquam sapius,  
qua horribilia, & incurabilia vlcera lauerat, ebibisset. Cum  
vero

verò de vita periclitarentur, tunc cibi somniq; prorsus obli-  
 tus, & præter proprias vires à Deo confortatus, veluti à  
 commissa custodia, nec die, nec nocte discedebat. Illique  
 sanctissima Ecclesiæ Sacramenta cæterasque spirituales  
 alimonias præbebat. Quæ ad eò libenter, atque hilariter  
 exquebatur, vt deliciae eius deseruire ægrotis, ac morien-  
 tibus, esse dicerentur; & quasi aliquod talentum, sibi Diuinæ  
 benignitatis munificentia creditum negotiaretur, assiduam  
 hanc erga ægrotos curam, ac vigilantiam toto vitæ suæ tem-  
 pore, ubicumque moraretur, exercuerat: Sed & per ean-  
 dem charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffusa erat in  
 corde ipsius, ad eò ad Deum accedebat, tantoque spiritus  
 fetore in oratione perseverabat, vt huiusmodi cibo inten-  
 tus, quo interiorem hominem reficiebat, noctes integras  
 transigeret: nec cum in nauis esset, atque in aperto vitæ diti-  
 mine, in summis tempestatibus versaretur, desisteret, aut  
 quicquam animo commoueretur: fieretque aliquando talis  
 super eum mentis excessus; vt oculis in coelum defixis Diui-  
 nam viâ terra eleuaretur, vultu ad eò inflammatus, vt Angeli-  
 cam prorsus charitatem repræsentaret: nec Diuini amoris  
 perferre valens incendium, sæpius exclamaret, satis est, Do-  
 mine, satis est. Cum verò sacrosanctum Missæ celebraret sa-  
 crificium, sæpenumero à sensibus vsq; ad eò abalienabatur;  
 vt nec minitri, vel tem succutientes, nisi post diuturnam mo-  
 ram eum excitare possent. Quin etiam aliquoties altius cu-  
 bito, à terra elatus, ab vniuersa adstantium multitudine  
 miraculi magnitudinem obstupescere: ac Serui Dei sancti-  
 tatem suspiciente conspectus fuerat; nec solum vigilans vir  
 Sanctus Deum in corde, & ore habebat; sed & dormiens in  
 ipso quiescebat: frequenter enim in somnis Sanctissimum  
 nomen I E S V cum summa mentis dulcedine proferte au-  
 diebatur. Cumque tam singularibus floreret virtutibus, at-  
 que in dies à Deo potioribus augetur muneribus; non mo-  
 do non extollebatur, sed crescebat in eo semper virtus hu-  
 militatis.

milicatis, adeò vt infania quæq; domus officia semper tan-  
quam omnium postremus obiret. Vestibus verò adeò pan-  
nosis, ac vilibus utebatur; vt pueris quandoq; deridiculo  
esset. Venerabatur autem eximie vir Dei non Episcopos  
modo, sed Sacerdotes quosq; Sancto verò Ignatio, tunc  
Præposito suo, nō nisi flexis genibus scribebat. Honores ve-  
rò ac laudes hominum adeo horrebat vt amplissimam Apo-  
stolici Nunciij dignitatem, quam instructus in Indias à Summo  
Pontifice missus fuerat, quam studiosissime occultaret, nec  
nisi semel ea potestate (necessitate coactus) vsus fuerat.

Cæterum tantus vir inigne stadium a Deo consequen-  
tus erat, in quo gloriose, vsq; ad consummationem cursus &  
coronam iustitiæ, decertaret: Cum etenim clare me: Ioannes  
Lusitanie Rex a patre meo Paulo Papa III. tunc dicti Grego-  
rij, nunc etiam nostro respectiue predecessore, nonnullos  
ex Ignatij socijs postulasset, quos ad Orientales Indias, vt  
in vastissimis illis regionibus verbum Dei disseminarent,  
transmitteret: Idem Pontifex Sancti Ignatij hortatu ad tā-  
tum opus peragendum Franciscum Xauerium elegerat, quē  
etiam Apostolici Nunciij dignitate, & amplissima potestate  
decorauerat. Cumque viatici nomine plurima ei a Prætoris  
Regio pararentur; homo qui pro viatico, ac pera de Dei be-  
nignitate, in cuius Euangelij opus segregabatur, presume-  
bat; nunquam adduci potuerat, vt quicquam præter vilissi-  
mum centonem acciperet: & in navi super funem nauticam  
dormiebat, ac emendicato vivebat: ægrotis in vilissimis mi-  
nisterijs indefessa charitate noctu, diuque seruebat.

In Indiam vt peruenerat, statim nec modico quidē tēpore  
ad quietem post longissimā, ac difficillimam navigationem  
sumpro, ad prædicandū illis gentibus Euangeliū se accinxer-  
at, & indutus virtute ex alto, Apostolico spiritus feruore  
ministerium, quod sortitus erat, tanto cū fructu exequabatur  
vt gratia Dei efficaciter verbo eius cooperante, non solum  
Christianorum mores deprauatos ad meliorem frugem  
palsim



passim toto Oriente reuocaret; sed multa centena hominũ  
millia, qui in tenebris, & in regione vmbre mortis ambula-  
bant, ad agnitionem veræ lucis perducti, regenerationis la-  
uacro mundarentur. Nam præter Indos, Brachmanes, & Ma-  
labares (in quorum Regnis Apostolica prædicatio, quæ an-  
tiquis temporibus illic viguerat, sed hostis humani generis  
fraude ex omnium memoria prorsus abolita erat, Xauerij  
prædicatione reuixerat.) Ipse primus Parauis, Malais, Iais,  
Acenis, Mindanais, Malacensibus, & Iaponibus Euangelium  
Christi annunciauerat, multiq; illarum nationum Reges, &  
Magni Principes, ingenti cum Fidei nostræ emolumento,  
suauis Christi iugo colla subdiderant. Incredibilia autem vi-  
debantur, quæ propter nomen Domini nostri Iesu Christi to-  
lerauerat: Per diuersa etenim Regna in vastis illis Orbis ter-  
rarum spatijs semper pedibus etiam sæpius nudis per arenas  
calidas pergebat, per spinas longissima itinera conficiebat,  
contumelijs sæpenumero, probris, & illusionibus, quin etiam  
verberibus, & lapidibus appetitus, in periculis hostium, in pe-  
riculis itinerum versatus, sæpe naufragus, vigilijs, frigus, &  
nuditate sitis, famemq; perpeffus erat. contractis ob asse-  
duos, ac intolerabiles labores grauissimis morbis. Nec enim  
(Apostoli exemplo) animam suam faciebat pretiosorem,  
quam se, dummodo consummaret cursum suum, & ministeriũ  
verbi, quod acceperat, testificari Euangelium gratiæ Dei  
signa verò, & prodigia, quibus Dominus Apostolorum suorum  
sermonem in nascentis Ecclesiæ exordijs confirmauit, ad il-  
lius nouæ sobolis incrementum; in manu etiã serui sui Fran-  
cisci misericorditer reponauerat. Subitò enim à Deo diuer-  
sarũ, ac incognitarũ gentiũ linguas, quas nõ nouerat, edoctus  
dissertissimè, quasi in iisdẽ terris educatus esset, loquebatur:  
& acciderat quandoq; vt eum ad diuersarũ nationũ populos  
concionẽ habẽtem vnusquisq; eodẽ tempore lingua sua, qua  
natus erat, magnalia Dei loquentẽ cũ stupore, & ecclasi au-  
dired, eoq; miraculo multitudo magna commota reciperet  
verbum Dei.

Hinc post præmissa ad Christi fidelium ædificationem aliqua ex insignioribus prodigijs, quibus prædicationem, & gesta ipsius Dominus illustrauerat, recenseret, & primò illud memorandum videbatur, quòd cum numerosus Badegarum exercitus in exitium Christianorum à Francisco baptizatorum immineret, atque omnia atrocitatis exempla se in Christianos editurum minaretur, Ipse solus Fide armatus, procedens obuiã, ac seuerè eorum impietatem increpans; steterat illico immobilis vestigio vniversus exercitus deterritus, vt milites, Ducesq; referebant, ab homine quodam magno nigris vestibus induto, qui iuxta Franciscum stabat, cuius maiestatem, ac splendorem vultu oculiq; micantem ferre non poterant. Itaq; vir Sanctus, quos Christo pepererat, à cæde, ac direptione liberauerat. Successiue apud Comorinum Promontorium, cum in quadam Ecclesia seruus Dei infidelibus concionaretur, ac propter duritiam cordis eorum nihil proficeret, facta oratione, iussit sepulchrum, in quo pridem defunctus tumulatus fuerat, aperiri, ac populo significans, ad comprobandam Christianæ Fidei veritatem, mortuum illum Dei voluntate rursum victurum, linteo, quo cadauer inuolutum erat, reuoluto, ac rursus precibus ad Deum fuis, mortuo, vt viueret, imperauerat, qui statim stupèribus omnibus surrexerat viuus. Quo tam insigni miraculo commoti qui aderant, tum alij multi crediderunt in Deum. Eodem postea loco mendicus quidam Beato viro occurrerat, vlcèribus plenus, cuius plagas Franciscus magno charitatis affectu lauã, atq; aquam, qua eas lauerat, ebibens, ac deinde Deum Patrem misericordiarum, vt illius pauperis misereretur, orans, è vestigio ab omni plaga, atq; vlcere Dei munere pauper ipse omnino liber surrexerat. Sed & puer quidam Mutani in Orientali India pestilenti febris vita sublatus, ac linteo insutus, de more gentis viginti quatuor horis asseruatus, fletibus parentibus ferebatur ad sepulchrum: quos vt vir Dei vidit, misericordia motus super

eos, Deum omnipotentem, vt puerum viuificaret, genibus  
 flexis, precatus fuerat, atq; aqua benedicta aspersu, rescisso  
 limbo, signo Crucis signauerat, apprehensaq; manu eius, in  
 nomine Domini Iesu Christi viuum, atq; incolumem paren-  
 tibus restituerat. Erecta in illo loco, ad tantæ rei memoriam  
 conseruandam ab incolis magna cum celebritate Cruce. Et  
 successiue apud oppidum Combuture in Ora Piscariæ puer  
 alius in puteum delapsus, suffocatusque maximo cum matris,  
 & cognatorum eiulatu efferbatur, cumque ex proxima Ec-  
 clesia Franciscus occurrisset, misertus eorum, ingenua pro-  
 uoluit, oculisq; in cœlum fixis, Deum pro vita pueri preca-  
 tus, cum apprehensa manu in nomine Domini nostri Iesu  
 Christi surgere iusserat, & confestim puer surraxerat viuus,  
 quem Sanctus vir reddiderat matri suæ, stupētibus omnibus,  
 ac maximo cum clamore Deo gratias agentibus, quibus ipse  
 præcepit ne cui rem gestam narrarent. Insuper dum in la-  
 ponia Insula Franciscus Christi fidem prædicaret, accesser-  
 rat ad eum mercator quidam à multis annis cœcus, petens  
 vt sibi à Deo, vt videret, impetraret. Franciscus, recitato su-  
 per eum Euangelio, signum Crucis oculis eius impresserat,  
 qui eodem temporis momento lucem amissam recuperaue-  
 rat. Postero vero die reuersus ad eum, cum vxore ac vniuer-  
 sa familia, genibus aduolutus gratias agens, & Christianam  
 fidem professus ad Baptismi gratiam vnà cum suis omnibus  
 peruenerat. Exierat autem tam illustri miraculi fama per  
 omnem terram illam, ac multi relictis Idolis suis conuersi  
 erant ad verum Deum, & Iesum Christum filium eius.

Cumq; seruus Dei ad Sinas in magna naui, qua quingenti  
 uehebantur, nauigaret, cessauerant adeo venti, vt quatuor-  
 decim diebus naus eodem loco hæssset immota; Cumq; in-  
 ter cæteras difficultates aquæ penuria valde laboraretur,  
 multique iam siti deficerent; vir Sanctus omnia nauis vasa  
 marina aqua impleri iusserat, fuisq; instanter ad Deum pre-  
 cibus, super ea signum crucis fecerat, ac repente aqua illa

6  
falsa, dulcis, salubrisq; effecta erat, quò miraculo plures, qui  
in nauì erant, infidèles crediderant in Deum, quàm etiã  
aquæ illius, quæ abunde superfuerat, potu plurimè per multas  
Indiarum Prouincias varijs, quibus vexabantur, morbis sa-  
nati fuerant. Ad eisdem Sinas contendens, eum scruissimè  
orta tempestate omnes de se actum esse existimarent, Gu-  
bernator nauis ne repentinè vis procellæ scapham auferret,  
validis eam rudentibus ad onerariam alligari fuisse; non  
multo post abruptis retinaculis, scapham tempestas abstule-  
rat tanto impetu, vt penè temporis momento omnium con-  
spectu effugisset, & prout quisq; cognatos, & necessarios in  
scapha habebat, certatim eorù casum deplorare ceperant.  
Franciscus ergo vniuersos collacrymantes bonù eoshabere  
animù iusserat, ac prædixerat fore, vt ante triduù filia remea-  
ret ad matrè, significans scaphã, ad onerariã rediturã, prout  
Deo dante apparere visa fuerat, & recta ad onerariã tẽdere  
& spõte ad illius latus accedere, atq; ita aptè se applicare, vt  
illi omnes, qui in ea erãt, comodè excepti fuisset, quæ etiã in  
medijs fluctibus, nemine illã retinente, tãdiu steterat, quoad  
religaretur ad nauim, attonitis omnibus ex miraculo rema-  
nentibus. Ad Moluchas insulas etiã Franciscus aduenerat,  
vbi magno spiritus feruore verbum Dei primus annuntiabat,  
atq; in Vrbe Tolo viginti quinque millia hominũ baptizau-  
erat, qui cù suasu Tyranni cuiusdã Christi fidem deseruissent,  
Ecclesiã solo æquassent, Cruces, Sanctorumq; Imagines cõ-  
fregissent, & conculcassent: Franciscus zelù Domini zelatus  
viginti Lusitanos, ac quadringentos circiter indigenas ad vl-  
tionẽ tanti sceleris incitauerat, eoq; Duce, ac victoriæ spon-  
fore, tam parua militũ manus aduersus Urbem munitissimã  
Christi rebellem expeditionẽ aggrediebatur, sed cùm prope  
Urbem peruenissent, substitit at vir Dei, ac orationi se dede-  
rat, statimq; vicinũ mons magnũ emiserat incendiũ, adeoq;  
ingentem cineris, ac pumicum vim eructauerat; vt Urbis  
atq; arcis, quæ in edito sita erat, muros æquasset, horribilibq;  
propterea terræ motus totam Urbẽ concusserat, plurimãq;  
domos

domos subuertorat, quibus malis exterriti incolæ, deserta  
 Vrbe, in proximas silvas confugerat. Vrbs itaque a Francisci  
 milibus facile capta erat. Ciuēs verò ad eius pedes prostra-  
 ti, acceptaq; salutari poenitentia, delicti veniã impetrarant.

Uterius, cū inter easdem insulas Franciscus nauigaret, ac  
 sauisima orta esset maris tempestas, ad eam sedandã, Cruci  
 fixã imaginem, quam collo appositam gestare solebat, vndis  
 immiserat, quæ vi procellæ è manibus excussa, in profundum  
 maris, non sine magno eius mœrore delapsa erat, sed lætifi-  
 catorat Dominus animam serui sui, nam cum ad terram ap-  
 pleuisset, ac secus litus iter faceret, marinus cancer ex vn-  
 dis subito prosiluerat, atq; ante pedes ipsius steterat, eandem  
 crucem moribus eleuatam gerens, & Franciscus in genua  
 prouolutus eam deuotè susceperat, ac diuturna oratione ob-  
 tam egregium munus Deo gratias egerat.

Prophético etiam spiritu Deus seruum suũ, quem in lucem  
 gentiũ dederat, illuminauerat, atq; ad eò insigne donum plu-  
 rimis manifestauerat exemplis. Atq; inter cœtera cū Aceni  
 populi, inter quos & Turcæ erant multi sexaginta nauiũ classe  
 vecti, Christianorum naues concremassent, ac multos cru-  
 delissimis supplicijs affectos enecassent, ducenti ac triginta  
 milites in octo naues distributi, Francisco suadente, ac in no-  
 mine Domini exercituũ victoriam promittente, classẽ bar-  
 barorum infecuti erant: transactoq; iam mense, cū nullus  
 ab ipsis nuncijs adueniret, consternatis omnibus, iamq; de  
 ciuium suorũ salute desperantibus, Franciscus in ipsa confli-  
 ctus hora classium congressum, ac insignem Christianorum  
 victoriam, haud secus, ac si præsens esset, in concione narra-  
 uerat, ac diem quo tantæ rei Nuncijs aduenturus esset, præ-  
 dixerat. Quæ omnia cum ingenti omnium admiratione, eo  
 ipso, quod designarat tẽpore, certis nũcijs approbata fuerat.  
 Cũq; duę naues eodẽ tẽpore à portu soluisset, prædixerat Frã-  
 ciscus, suborta magna in mari tempestate, alterũ naufragiũ  
 passerã; alterã verò (& in hac ipse reperiebatur) extra omne  
 maris periculũ in Nauali dissoluendam; quam prædictionem  
 vtriusq;

utriusque exitus comprobauerat, cum alterius fragmenta non multo post inspecta fuissent, altera vero multis tunc peractis itineribus, cum publicato uaticinio, Sancti Patris nauis uocaretur, ac ubicumque appelleret, cum plausu exciperetur, demum post multos annos in Nauali, ut reficeretur, subducta, sponte corruerat.

Grassante quoque pestilentia in Lusitanorum, ac Hispanorum classibus, quæ ad Amboinam insulam appulerant, cum Sanctus uire grotis de more ministraret, à Ioanne de Arausio, ut uinum sibi ad eorum usum elargiretur, petierat, quod Arausius grauatim, timens ne sibi deesset, miserat, quem Dei seruus admonuerat, ut in charitatis operibus largior esse uellet, breui etenim fore, ut uita defungeretur, eiusque omnia bona in usus pauperum cederent. Cumque post non multum temporis spatium ad Ternatim insulam, quæ ducentis amplius miliaribus à loco distabat, aduentasset, ac Missæ sacrificiõ celebraret, versus ad populum, Orate, (dixerat) pro anima Ioannis de Arausio, qui modò expirauit, stupentibus omnibus, post duodecimum demum diem superuenerat, qui uisionem Sancti uiri uerissimam fuisse, nunciata Arausij morte declarauerat.

Mercatori cuidam Meliapore discessum, ac munusculum aliquod tanquam beneuolentiæ signum à se postulanti, Seruus Dei Beatæ Mariæ Virginis coronam precariam è collo detractam elargitus erat, affirmans fore, ut quandiu illam penes se haberet, ab omni maris periculo incolumis esset euasurus. A portu itaque mercator soluens naufragium fecerat, cumque in tabulata ex lignis raptim composita cum nonnullis alijs, uectoribus exiisset, in alto mari alienato à sensibus animo uisus esset sibi cum ipso seruo Dei Fracisço in eo loco, in quo coronam precariam præfatam acceperat, colloqui: Quinto demum die, ex quo delinierat in illa tabulata, ab ea animi ecliati, uelut ab alto somno experrectus, cum neque tabuia, neque socij, uquam comparuissent in litore, Nagapatani

patant prope Meliaporem saluū, & incolumē se repererat.  
 Petro Vellio autem, qui summa voluntate in quodam  
 charitatis opus pecuniam viro Dei elargitus fuerat, promi-  
 serat, fore vt nunquam ei necessaria decissent, ac mortis  
 horam diuinitus præcognosceret, quorum vtrumq; accide-  
 rat, nam quamuis Petrus maxima perpeius esset rei fami-  
 liaris detrimenta, semper tamen ab omnibus summam libe-  
 raltatem expertus erat, ac transactis demum multis annis,  
 reuelata sibi mortis hora, se in Ecclesia in feretro compo-  
 suerat, auditq; Missa, ac precibus, quas pro animæ suæ salu-  
 te recitari iusserat, ibidem statim in pace obdormuerat.

Demum vir Dei, consummato feliciter peregrinationis  
 sue cursu, fama sanctitatis clarus, & bonis operibus plenus,  
 cum ei benedictionem Patriarchæ Abrahæ Dominus spiri-  
 tualiter elargitus esset, vt multarum gentium pater effice-  
 retur, & filios, quos Christo Iesu genuerat, super stellas coeli,  
 & super arenā, quæ est in littore maris, multiplicatos videret,  
 & ex eis plurimos proprio sanguine laureatos ad coelestia  
 Regna præmisset; Orientalium INDIARVM APOSTO-  
 LVS ab vniuersis Indiæ Regnis, totoq; Christiano Orbe ap-  
 pellatus, dum aditū Euangelio in vastissimo Sinarū Imperio  
 quærebatur, assiduis laboribus, quos, vltra humanas vires pro  
 gloria Dei tolerauerat, contractus, in Insula propè Sinas, die  
 secundæ Decembris anni Domini millesimi quingentesimi  
 quinquagesimi secundi, ad coelestem gloriam, perpetuo cum  
 Deo regnaturus euolauerat. Defuncti corpus viua calce per-  
 fectum, vt ex ea carne, ossa in Indiam exportarentur, inclu-  
 sumq; arca lignea sepultū fuerat, quod post quatuor menses  
 effossum ita recens, ac tractabile, vestimentisq; adeo integris  
 ac si nuper esset tumulatum repertum extiterat, & quamuis  
 nullo odoramentorū genere curatum fuisset; Diuino tamē  
 munere eam odorū fragrantia spirabat, vt esset super omnia  
 aromata: calce itaq; rursus ieiecta, Malacamq; (in Orientali  
 India Vrbs est celeberrima) delatum extiterat; in qua cum  
 seui-

suavissima pēstis plurimōs quotidie conficeret, ingenti be-  
 neficentia aduentum eius Deus insigniuerat, nam sacro cor-  
 pore in Urbem illato, adeo omnis contagio desierat; vt ea  
 deinceps nullus omnino correptus fuisset. Arca itaque rur-  
 sus aperta, integrum sicut antea, eandemq; odoris suauita-  
 tem diffundens repertum etiam fuerat. Cumq; in nouo locu-  
 lo conderetur, ex humero, ob arcule breuitatem paulum cō-  
 presso recens sanguis effluerat. Nono demum post obitum  
 mense, sepulchro iterum patefacto, rursus, vt antea, diuina  
 virtute à corruptione immune, ac coelestibus perfusum aro-  
 matibus inuentum, velo quo facies eius operta fuerat, ob in-  
 gestæ terræ pondus recenti cruore cōsperso, noua itaq; arca  
 serica, aureaq; veste contacta pretiosissimum pignus inclusū  
 in Indiam ad Coccini portum delatum erat, confluentibus  
 vndiq; ad honorandum communis in Christo Iesu Parentis  
 corpus plurimis earum gentium populis. Inde Goam insigni  
 celebritate translata, ac deo, ac omnibus ciuium ordi-  
 nibus maxima frequentia, ac deuotione exceptum, & in Ec-  
 clesia Societatis IESV, vt populorum deuotioni satisfaceret,  
 validis cancellis inclusum, omnium oculis per triduum ex-  
 posita remanserat, eiusdemq; Proregis iussu ab insigni me-  
 dico, deindeq; à Vicario Goano visitatum, ac perentatum,  
 omni ex parte incorruptum, integris etiam intestinis com-  
 pertum fuerat, manante etiam ex paruo inflicto vulnere re-  
 centi cruore.

Quo tempore cum mulier quedam, affectu deuotionis in-  
 citata, specie osculatis, pedis digitum, vt illum absunderet,  
 mortuū apprehendisset; statim sanguis effluerat. Sed Altissi-  
 mi benignitas non his modo mirabilibus sanctum suum in  
 conspectu omnium populorum mirificauerat; sed omni tem-  
 pore ingentia præstabat beneficia his, qui eius intercessionē  
 fideliter implorabant, vt plurimis exemplis, præsertim verò  
 infra insertis manifestum erat.

Puer quidam Goæ natus, qui vtrumq; pedem à natiuitate  
 adeo



adeo aridum, & crura freca habebat, vt illis non posset infir-  
 sere, sed manibus reptare cogeretur ad Serui Dei sepulchrū  
 ab educatrice perductus, singulis nouē diebus visitare statue-  
 rat. Cūq; votū cepisset ad implere tertia iam die, qua sepulchrū  
 visitabat, puer in eius gremio existens repente ferre in sepul-  
 chri oratorem manibus apprehendens, suis stare pedibus, & am-  
 bulare ceperat, & statim omnino sanus euaserat & intra no-  
 uem dies, quos promiserat, crura carne repleta fuerat, & sic  
 semper valens, & sanus deinde vixerat: Cottara Indiæ Ori-  
 entalis ciuitate vnus mensis infans mortuus ad epulchrum cu-  
 ratus, erat: vouerant itaq; cum ingēritudine parentes, & in sine  
 doctum, si puer reuiuere, sepulcro serui Dei ob-atos, ac Fran-  
 cisci nomen ei imposituros; repente infans aperire oculos,  
 brachia, pedesq; mouere, ac vagire cœperat, ac paulo post non  
 vniū modo, sed & omnino sanum, atque incolumem filium  
 receperant, redditisq; cum ingenti gaudio votis, tam insigne  
 miraculum per totam illam regionem d' uulgant.

In eadem Vrbe cœco quidam Sanctus per quī rem appa-  
 roerat, eumq; monuerat, vt ad Ecclesiam eius visitandam, ocu-  
 lorum lumen ibi recepturus pergere non diffiret. Patuerat  
 fideliter homo, ac dum per nouem dies ante Francisci imagi-  
 nem orabat, repente discussa omni cœcitat' caligine sanatus  
 erat, & perfecte uiderat.

Quin etiam leprosus quidam in eodem loco magna fiducia  
 ad sancti intercessionem confugerat, proprioq; corpore oleo  
 lampadis, quæ ad eius imaginem ardebat, perurctō, et in pro-  
 stratus obabat, repētē à lepra mundatus, atq; omnino sanus. Sē-  
 ctus erat. Eandem uirtutem experta erat Francisci Rebellis,  
 quæ a multo tempore sanguinis fluxum, ac ventris tumorem  
 cum ingenti dolore patiebatur. Lampadis enim ante eius  
 imaginem pendens identidem se oleo ungens, statim adeo  
 perfecte conualuerat, vt nullas amplius eorum morborum men-  
 sisset reliquias. frequenter enim acciderat, vt lampades ad ean-  
 dē Serui Dei imaginē appensæ aqua tan ē benedicta mē-  
 hauit, ac si oleo plenæ essent, arderent, lucerentq; super e-

tibus etiam infidelibus, quos ad tantæ rei miraculum conspiciendum non sine magno fidei nostræ incremento Christiani incitabant; cum frustra omnes medicæ artis opes expertus esset Gundisalvus Coccinensis ciuitatis incolæ, ut inueterato cancri morbo, quod pectus eius assiduis doloribus vexabat, mederetur; ad Diuinam opem conuersus, omnipotentis Dei misericordiam, ut se Beati Francisci meritis sanum faceret, implorauerat. Imaginem igitur eius ære excusam viceri applicauerat: eodemq; momento ab omni plaga incolumis euaserat.

Eiusdem Urbis ciuis Emanuel Rodriguez pedes habebat viceribus plenos, ac ob neruorum contractionem adeo debiles; ut illis insistere non valeret, quibus malis etiã grauis & periculosa dysenteria accesserat. Medicis itaq; de eius vita diffidentibus, cum ad intercessionem famuli Dei Francisci æger confugisset, eadem imagine corpus suum in formam Crucis figurauerat, & aquam, in qua eademmersa fuerat, ebiberat: talemq; Diuinæ virtutis senserat effectum; ut inera tridui tempus ab omnibus morbis incolumis, integram consequutus fuisset sanitatem; eiusdemmet Serui Dei imaginis præsentem agnouerat virtutem Maria Diaz, septem etenim annis cæcitatem, ac paralytum perpassa, signum Crucis debilitatis membris impresserat, eaque eiusdem imaginis immersione aqua sanctificata lauerat; necdum septem præterierant dies, cum oculorum lumen, ac totius corporis cœlesti dono acceperat incolumitatem.

Hincq; factum erat ut cū tot, tantisq; signis seruū suū, omnipotens Deus in brachio excelso clarificaret, & per vniuersam iam terrarum Orbem, tot mirabilium præconia longe, lateque diffunderentur, ac propterea non solum Christi fidelium erga ipsam deuotio magna susciperet incrementa; sed multorum etiam infidelium corda ad agnoscendum Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum illuminarentur; Ioannes Luitartz Rex præfatus, zelo deuotionis accensus inuiterat, ut ad diuersos locorum ordinis trijs super eius sanitate, & miraculis processus fierent. Qui cum diligenter munus suum expleuissent,

de procedentibus temporibus, omnia acta ad hanc sanctam  
 Sedem transmissa fuissent, recol. me: Paulus Papa V. etiam  
 prædecessor noster, tunc suus, instante pro serui Dei Canoni-  
 zatione etiam clame: Philippo III. Hispaniarum Rege Catho-  
 lico deputauit bon: me: Horatium Lancelotum tunc Rotæ  
 Auditorem, eo que ad Cardinalatus honorem sublimato, dile-  
 ctum filium Magistrum Ioannem Baptistam Coccinum, eius-  
 dem Rotæ Decanum, & pariter bon: me: Franciscum Sacra-  
 rã tunc Archiepiscopum Damascenum, & Auditoris Rotæ Lo-  
 tūtenentē, ac deinde S. R. E. Cardinalem, qui & antiquos pro-  
 cessus examinerēt, & nouos auctoritate Apostolica faciēdos,  
 quatenus ipsis videretur, decernerent, atq; omnia eidem Paulo  
 prædecessori vnà cum eorum sententia referrent, qui literas  
 remisoriales ad diuersos Prælatos in Hispaniarū, Lusitanie,  
 ac Indiarum Regnis constitutos decreuerant, atq; ipsi interim  
 in Curia nouos testes examinerāt. Cūq; præfati Iudices parti-  
 bus suis perfuncti essent, eisdē Auditoribus processus a se cōfe-  
 ctos transmisserrant. Qui omnibus summa cum maturitate per  
 plurimum temporis spatium, vt negotij grauitas postulauerat,  
 consideratis, ac perpensis, eidem Paulo prædecessori retule-  
 rant, iuxta canonicarū sanctionum decreta abunde constare  
 de vitæ sanctimonia, ac eximijs virtutibus Serui Dei Francis-  
 ci deq; miraculis, quæ tam eo viuente, quam post felicem  
 eius obitum, eius meritis, ac intercessionibus Deus omni-  
 potens operari dignatus erat, dignumque videri, si eidem place-  
 ret, vt in Sanctorum confessorum catalogo adscriberetur:  
 Cū interim præfatus Paulus prædecessor humanitatis debi-  
 tum persoluisset, & prædictus Gregorius prædecessor ad sa-  
 crum Apostolatus apicē Diuina prouidentia assumptus fuis-  
 set, ac pro parte charissimi in Christo filij nostri tunc sui, Phi-  
 lippi III. Hispaniarum Regis Catholici instanter requisitus  
 esset, vt negotium huiusmodi promouere, ac ad viteriora pro-  
 cedere dignaretur, accederentque aliorum Principū, ac Præ-  
 latorum, ac totius Indię Cleri, idem suppliciter exposcentium

preces; prædictus Gregorius prædecessor, ut in re tam graui  
 ea qua decebat in iuritate progredieretur, prædictorum Au-  
 ditorum relationem ad S. R. E. Cardinales sacris ritibus præ-  
 octos, vt prædictus totum negotium quam diligentissimè discute-  
 rent remittit. Quod cum illi accuratè perfecissent, ac pro Serui  
 Dei Canonizatione omnes vnanimiter cõsenserunt bonum: Fran-  
 ciscus Maria Episcopus Portuenfis S. R. E. Cardinalis de Mõ-  
 te nuncupatus totius, processus summam, & suarum collegarum,  
 que sententiam, contra dicto Gregorio prædecessore, & venera-  
 bilibus fratribus nostris, tunc seors. S. R. E. Cardinalibus, de quo-  
 rum numero tunc eramus, in Consistorio suo secreto exposuit.  
 Quibus auditis, reliqui Cardinales ad vltiora fore procedè-  
 dum, communi suffragio pronunciauerant.

Igitur, cum in publico Consistorio quondam Julius Zam-  
 beccarius, quondam Aulae Consistorialis Advocatus, plurima de  
 huius Serui Dei vita, & virtutibus enarraasset, atq; eiusdem Hi-  
 spaniarum Regis Catholici preces pro eadem Canonizatione  
 exposuisset, atq; vt ad eam procedere dignaretur, humiliter  
 supplicasset, dictus Gregorius prædecessor, præfati Regis pie-  
 tatem, & Religionis zelum plurimum in Domino commèdans  
 super tanta eisdem S. R. E. Cardinales, atq; Episcopos in Ro-  
 mana Cùria presentes consulturos esse respondit, atque inte-  
 rim Cardinales & Episcopos prædictos intimo cordis sui affe-  
 ctu vehèmenter in Domino hortatus est, vt in omni humilitate  
 & lachrymis, in ieiunijs, & elemosinis exposcerent ab eo qui  
 est via, & veritas, vt dirigere dignaretur gressus suos in semitis  
 suis, vt ingrederetur in veritate sua, vt quod beneplacitum es-  
 set in conspectu eius intelligere, & perficere, eo auxiliante  
 valeret.

Sequenti itaq; semipublico Consistorio, ad quod non Cardi-  
 nales modo, sed etiam Patriarchas, Archiepiscopos, atq; Epif-  
 copos in Curia presentes conuocari mandauit, præsentibus-  
 que etiam sedis Apostolicæ Notarijs, necnon sacri Palatii A-  
 postolici causarum Auditoribus, cum plurima de egregia viri  
 Dei Francisci Xauerij vita, ac miraculis enarraasset, & quanta

in signis hinc Dei seruus pro nomine Domini nostri Iesu Christi  
 perituisse, quantoq; cum prouentu( Dominio incrementum  
 dante) per incognitas nationes, verbum Dei disseminasset, ex-  
 posuisset: commemoratis etiam instantijs, quæ coram dicto  
 Gregorio prædecessore tam à Rege Catholico, tum ab alijs  
 etiam Reipublicæ Christianæ Regibus, & Principibus fiebant;  
 cum singulorum sententias requisisset, omnes vno ore benedi-  
 centes Deum, qui honorificantes se glorificat, seruum eius  
 Franciscum Xauarium canonizandum esse, atq; inter sanctos  
 Confessores adscribendum censuerunt. Quorum omnium au-  
 dito consensu, exultauit in Deo salutari nostro, gratias agens  
 ei, qui est gloria virtutis nostræ, in cuius beneplacito contra  
 omnes aduersarias potestates exaltatur cornu nostrum: qui  
 Ecclesiam suam in diebus istis hoc lumine illustrare, ac nouo  
 patrocinio munire dignatus esset. Canonizationis itaq; publi-  
 cauit diem infra scriptum, eosdemq; fratres, ac filios nostros  
 paterna charitate monuit, vt bonis operibus inherentes præ-  
 carentur Deum misericordiarum, vt super eos sereno vultu respi-  
 cere, & eorum actiones ad voluntatem eius perficiendam di-  
 rigere dignaretur.

Deinum peractis omnibus, quæ ex sacris Constitutionibus,  
 ac Romanæ Ecclesiæ consuetudine peragenda erant, quarto  
 Idus Martij, Pontificatus sui anno secundo, in sacrosancta Prin-  
 cipis Apostolorum Basilica cum eisdem Cardinalibus, nec non  
 Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis Romanæ Curie Præ-  
 latis, officialibus, & familiaribus suis, Clero seculari, & regu-  
 lari, maximaq; populi frequentia, conuenit. Vbi, repetis pro  
 Canonizationis decreto, nomine eiusdem charissimi in Chri-  
 sto filij nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici à dilecto  
 filio nostro, tunc suo, Ludouico tituli Sanctæ Mariæ Transpô-  
 tinæ, Cardinali Ludouiso nuncupato, eiusdem secundum car-  
 nem nepote, per Iulium Zimbecarium Aduocatum prædicti  
 petitionibus, decantatis sacris precibus, ac Litanijs, & Spiri-  
 tus Sancti gratia humiliter imploratis; ad honorem Sanctissi-  
 mæ, & Indiuiduæ Trinitatis, ac Fidei Catholicæ exaltationem


11  
auctoritate omnipotentis Dei Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum, ac sua, de eorundem S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, in Romana Curia presentium consilio, ac unanimi consensu gloriosae memorae Franciscum Xaverium, de cuius vitae sanctitate, fidei sinceritate, ac miraculorum magnitudine, & frequentia plene constabat, Sanctum esse definiuit, & in Sanctorum Confessorum catalogo adscribendum esse decreuit, & adscripsit, illumque ab vniuersis Christi fidelibus tanquam vere Sanctum honorari, ac venerari mandauit, ac ut ab vniuersali Ecclesia in eius honorem Ecclesie, & altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, edificari, & consecrari, & singulis annis die secunda Decembris, qua ad caelestem gloriam vocatus est, eius officium, vti de sancto Confessore, ad praescriptum Romani Breuiarii celebrari posset, statuit: eademque auctoritate omnibus Christi fidelibus vere poenitentibus, & confessis, qui singulis annis eodem festo die ad sepulchrum, in quo corpus eius requiescit, visitandum accederent, vnum annum, & vnam quadragenam ijs vero qui in eiusdem festi octaua, quadraginta dies de iniunctis poenitentibus misericorditer in Domino relaxauit.

Postremo, gratijs Deo cum exultatione actis, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificasset, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decorasset, cantata in sancti Francisci honorem solemnibus Sanctorum Confessorum oratione, ad altare Principis Apostolorum Missam celebravit, cum eiusdem Sancti Confessoris commemoratione: omnibusque Christi fidelibus presentibus plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam elargitus est. Ne autem de definitione, decreto, adscriptione, mandato, statuto, relaxatione, alijsque praemis, pro eo, quod super illis ipsius Gregorij praedecessoris literae, eius superueniente obitu, confectae non fuerunt, valeat quomodo libet haeritari, Volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, quod definitio, decretum, adscriptio, statutum, relaxatio, impartitio, aliaque praemissa a dicta die quarto Idus Martij, suum debitum sortiantur effectum, ac si super illis ipse

ipſius Gregorij prædeceſſoris literæ ſub data eiſdem diei con-  
fectæ ſunt ſent, prout ſuperius enarratur, quodque præſentes  
literæ ad probandum plenè definitionè, decretū, adſcriptionè,  
aggregationem, ſtatutum, relaxationem, & alia præmiſſa ubi ſu-  
ſufficiat, nec ad id probationis alteriùs adminiculū requiratur.

Cæterum, quia difficile foret præſentes noſtras literas ad ſin-  
gula loca, ubi opus eſſet, deferri, volumus, ut earum exemplis,  
etiã impreſſis, manu publici Notarij ſubſcriptis, & ſigillo  
alicuius perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis  
eadem ubiq; fide habeatur, quæ ipſis præſentibus adhibere-  
tur, ſi eſſent exhibitæ, vel oſtentæ. Nulli ergo omnino hominū  
liceat hanc paginam noſtrarum decreti, & voluntatum infringere,  
vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attem-  
tare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Be-  
atorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe noverit incurſurum.  
Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Do-  
minicæ milleſimo ſexcenteſimo vigelimo tertio, octavo Idus  
Auguſti, Pontificatus noſtri anno primo.

✠ *Eg. Urbanus Catholica Eccleſia Episcopuſ*



- |  |   |
|--|---|
| ✠ Ego Dominicus tt. Sancti Laurentii in Lucina presby. Cardinalis Ginnaſius. | ✠ Ego Julius tt. S. Marie supra Minervā, presb. Card. Roma.                       |
| ✠ Ego M. tt. SS. Quirici, & Iulittæ presb. Card. Lantcs.                     | ✠ Ego Fr. Desiderius, tt. S. Clementis, presb. Card. de Cremona                   |
| ✠ Ego P. tt. SS. Nerei, & Achilæi presb. Card. Crescentius.                  |   |
| ✠ Ego P. tt. S. Petri in Vincula presby. Card. Capponus.                     |   |
| ✠ Ego G. tt. Crucis in Hierusalem presb. Card. Borgia.                       | ✠ Ego Cosmas tt. S. Pancratii S. R. E. presb. Card. de Foris                      |
| ✠ Ego Tiberius tt. S. Priscæ presb. Card. Mutus.                             | ✠ Ego C. S. Nicolai in Carcere Diac. nus Cardinalis Ficus                         |
| ✠ Ego R. tt. S. Alexij presb. Cara Vbalanus.                                 |   |
| ✠ Ego Iulius tt. S. Sabina presb. Cara Sabellus.                             |   |
|  | ✠ Ego Hippolytus tt. S. Marie Noua, Diac. Card. Alabrandinus S. R. E. Camerarius. |
| ✠ Ego Guido S. Marie de Populo presb. Cara Bimtuolus.                        | ✠ Ego A. S. R. E. Diaconus Cardinalis de la Cueva.                                |

Visa de Curia A. Hurandus G. Montanus loco p. plumbi Regi. rata in Secretaria Breuium.